

A P R H

3 6 7 4



~~A. VIII. 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

IV A 168 VITEBERG.

SIGNAT. CICERO CCCXIII.

nk



**CLAVIS
AD IDEAM
Logicam**

**Totam Logicæ Doctrinam
Brevissima Sylloge
exhibens,**

OS(*)

Præfamen.

Quoniam Idea nostra Logica
nouâ & hactenus inusitatâ
methodo conscripta est, quæ
tamen ex ipso Aristotele tanquam
Fonte omnes suos rivulos dedit;
Unde etiam omnia ea complectitur,
quæ in Peripateticorum libris com-
muniter traduntur, addita tamen
præter alia ḡέσι, sive Habitudine,
ab Aristotele quidem sapienter indica-
tâ, à plerisque Scriptoribus tamen
ferè, nescio qui, præteritâ, à nemini
ne saltem, quod sciam, ita detecta,
& ad Usum traducta, ut Doctrinam
Topicam tam Illustrē nobis reddi-
derit: Hæcque Doctrina in Logi-
ca Præctica uberioris à nobis declara-
ta fuit, quæ tamen typis expressa
nondum est: Visum Summariam
quondam rationem hic exponere, quâ
& tota Idea sub unum quasi contui-
tum cadere posset, & Tractationis ra-

tio, connexio, principium ac funda-
mentum, unde omnia reliqua dedu-
cuntur & fluunt, innotescere: Quo-
modo novae tractationi non poterit
non lux major accedere; Sicq; & Do-
centes & Discentes eo majori cum fru-
ctu in his versari. Et quamvis que
hic de Habitudine illa singulorum
Terminorum simplicium, prout i que-
libet distincte a nobis allegata est, ad-
duximus, alicioris indaginis ac meta-
physica cuiusdam videri possint, sola ta-
men naturam horum Terminorum,
quomodo deinde Loci sunt Inventio-
nis & Topicorum, explicare valent; atq;
eo modo, quo a nobis in Idea exposita
sunt, & exemplis illustrata, etiam im-
becilli stomacho lac sunt. Hanc ergo
brevissimam Syllogen, pro Clave eo-
rum, que forte non omnibus obvia,
vel novitate sui non satis resoluta vi-
debuntur in Idea, si non Discendentibus
initio, Docentibus tamen, utilissime
servitutram speramus.

Tota

論理學論理學論理學論理學論理學論理學論理學論理學

Tota Logica tractat de his
duobus. 1. De Objecto. 2.
De Instrumentis Logicis.

OBJECTUM Logicæ sunt Res
omnes. Quæ distribuuntur in Cer-
tas Classes, quæ dicuntur Prædicamenta:
Et hæ iterum in suos Gradus, qui di-
cuntur Prædicabilia, sive naturæ commu-
nes de pluribus prædicabiles. His
annectuntur Anteprædicabilia (vulgo
Anteprædicamenta dicta,) tanquam
Termini Vocis de pluribus prædi-
cabiles. Prædicamenta sunt numero
X. Unum Substantiæ, & Novem Ac-
cidentis: ut sunt; Quantitas, Quali-
tas, Actio, Passio, Relatio: Et, Quan-
do, Ubi, Situs, Habitus. Prædicabilia
sunt numero V, Genus, Species, Diffe-
rentia, Proprium & Accidens. Ante-
prædicabilia IV. Synonymum, Analo-
gum, Homonymum & Paronymum.
De his ergo agitur in PARTE PRI-
MA Logicæ.

INSTRUMENTA LOGICA,
quæ scilicet Logica rebus applicare docet, sunt quatuor? *Tria Cognitionis*, quæ docent res recte cognoscere; idque secundum tres mentis operationes, simplicium apprehensionem, unius cum altero compositionem vel divisionem, & discursum; quarum primam dirigit *Terminus simplex*, alteram *Propositio*, tertiam *Syllogismus*. Quibus tamen addenda *Methodus*, quartam mentis operationem (quæ est numerare, hincque ordinare) dirigens, in ordinando videlicet & apte collocando res cognitas.

TERMINUS SIMPLEX distinguitur in *Thema*, & *Argumentum* *thema* illud arguens sive explicans. Unde horum Terminorum certa consti-
tuuntur Paria, ut mox sequetur. Ar-
gumentum autem *Thema* explicare dicitur per HABITUDINEM quam
hi Termini habent ad se invicem, quæ duplex: *Relationis* & *Oppositionis*. *Habitudo Relationis* est inter *Causam* &
Causatum, *Subjectum* & *Adjunctum*,
Antecedens & *Consequens*, *Connexa*,
Cir-

Circumstant & Adjectum, Signū & Si-
gnatum, Genus & Speciem, Totum &
Partem, Notationem & Notatum, Con-
jugata, Definitionem & Definitum,
Divisionem & Divisum, Paria item, &
Similia: Quorum scilicet, Uno posi-
to, ponitur alterum, & sublato tolli-
tur, videlicet Posita Causa ponitur ef-
fectus: Ut, Est Pater, E. habet Filium.
(Pater enim est causa filii.) Posito
subjecto ponitur adjunctum, ut, Est
virgo E. est pudica. Est Adolescens E.
est verecundus (Nam pudicitia est ad-
junctum virginis, verecundia adole-
scens.) Et sic consequenter: Idque
vi Relationis, quia omnia Relata sese
mutuo ponunt & tollunt, juxta Cano-
nem Logicum. Tales autem sunt
omnes Termini enumerati, qui ideo
Consentanei dicuntur, quod vi mutua
relationis inter se consentiant.

Habitudo Oppositionis est inter reliquos
Terminos simplices, vid. Imparia, Dissi-
milia, Diversa & Opposita, quæ quintu-
plicia: Disparata, Relativa, Contra-
ria, Privativa & Contradictoria, tan-
quam Terminos Dissentaneos & Op-

positos; quorum Uno posito alterum tollitur. V. gr. Posito uno Contrariorum tollitur alterum, Paries est albus E. non est niger. Aqua est calida E. non est frigida: Idque vi Oppositonis, quæ vel est *Levior*, inter Diversa videlicet quorum unum non statim tollit alterum, quia et si inter se differant, à subiecto tamen non statim se excludent. Ut, Est pius E. non est dives, potest enim esse utrumque, ut fuit Abraham: Vel *Hostilis* & cum pugna, ita ut se invicem à subiecto removeant sive excludant; Unde posito uno, alterum necessario tollitur. Ut; Homo est animal E, non est lapis. Hæc enim sunt disparatè opposita, quæ se à subiecto mutuo excludunt.

Utraque *Habitu*do horum Terminorum ante doctrinam de Propositione & Syllogismo prius explicanda est, quia est *Fundamentum* & *Principium* tam Propositionis quam Syllogismi: *Propositionis* quidem, quatenus illa vel vera est vel falsa, necessaria vel contingens: Idque propter *Nexum*, quem prædicatum habet cum subiecto in Propositione,

ne, qui nexus dependet ab Habitudine argumenti & thematis, prout scilicet argumentum cum themeate cohæret necessario vel contingenter: Unde Propositio oritur Necessaria vel Contingens. Ita etiam Eadem Habitudo est Fundamentum *Argumentationis*, quatenus ex Habitudine illâ cognoscitur Nexus mediî termini cum partibus quæstionis, propter quem ille probandi vim habet; Idque tum necessariò, si nexus ille sit necessarius, in Argumentatione Apodictica & Demonstrativa; Tum Contingenter, si nexus ille sit contingens, in Argumentatione Dialectica & Probabili.

Hæc autem HABITUDO naturam horum Terminorum, Argumenti videlicet cuiusvis cum suo themeate, explicans, in specie totuplex est quotuplices sunt Termini illi, Eorumq; Paria: Habitudo nimirum *Dependentiae* inter Causam & Causatum, quâ à se mutuo dependent: Habitudo *Cohærentiae* inter Subjectum & Adjunctum, quâ sibi mutuo cohærent: Habitudo *Ordinis* secundum prius, posterius & simul inter Antecedens,

dens , & Consequens , ac Connexa ;
Circumstantiae inter Circumstans, locum
videlicet & tempus, & Adjectum, loca-
tum videlicet & rem quæ sit in tempo-
re : *Signationis* inter Signum & Signa-
tum ; *Universalitatis & Particularitatis* inter
Genus & Speciem ; Speciem & Indi-
viduum ; *Compositionis* inter Totum &
Partem ; *Significationis* inter Notatio-
nem & Notatum ; *Nexus Vocis*, in deri-
vatione scilicet & significatione, inter Con-
jugata ; *Circumscriptionis Essentiae* inter
Definitionem & Definitum ; *Partitionis*,
inter Divisionem & Divisum ; *Compa-
rationis & Cognitionis* inter Paria, item Si-
milia ; Quæ omnis Habitudo est Re-
lata , Terminorum Consentaneorum
videlicet , ut dictum.

Habitudo Opposita est reliquo-
rum Terminorum Dissentaneorū ; quo-
rum Oppositio vele est Levior, ut dictum
Diversorum videl. (ad quæ etiam Impa-
ria & Dissimilia referuntur) quæ se à
subjecto mutuo non excludunt, sed ali-
quando in uno subjecto simul esse pos-
sunt ; Vel Cum pugna , quæ est Opposite-
rum in specie dictorum sive Repugnan-
tium,

tiūm, quæ ideo se à subiecto mutuo ex-
cludunt, ita ut in uno & eodem subje-
cto nunquam simul esse possint. Sunt
que : 1. *Disparata*, quæ non uni sed
multis simul opponuntur: Ut, Homo
arbori, lapidi, nam & arbori & lapidi
homo opponitur, quorum neutrum est
homo. 2. *Relativa*, relatum & corre-
latum, quatenus unum non est alte-
rum; Pater non est Filius, Filius non
est Pater. 3. *Contraria*, seu *Adversa*,
qualitates videlicet Contrariæ seu pu-
gnantes, & à subiecto sese mutuo ex-
pellentes, ut calor & frigus, quorum
ille hunc, hoc illud expellit ab aqua.
4. *Privativa*, habitus & privatio; ut
Lux & tenebrae. 5. *Contradicentia*,
quorum unum rem ponit, alterum sim-
pliciter negat, (In contradictione ex-
plicita) ut Homo, non homo: Vel
unum per alterum evertitur (in impli-
cita) ut, Meretrix pudica.

Atque hæc Habitudo ideo Terminos
Logicæ Artificiales constituit , sic di-
ctos, quod ab arte excogitati sunt &
inventi. Præter quos datur unus Termi-
nus Inartificialis , qui non ab habitu-

dine illa, tanquam artificiali aliquo inferendi medio , oritur , sed probandi vim habet à medio externo ; Authoritate videlicet Personæ vel Rei testantis, quæ hic probandi vices sustinet. Hæc ergo omnis Habitudo, ut & Authoritas in probando, in PARTE SECUNDA Logicæ explicatur : Idque præviè , ante doctrinam Propositionis , & Syllogismi , quod Propositionis veritas vel falsitas , ut dictum , & omnis argumentandi ratio ac vis , adeoque argumentationis consequentia & inconsequentialia , quæ est Tota Doctrina Topica ab Habitudine illa & Authoritate dependent.

PROPOSITIONIS considerantur. 1. *Partes*, Subjectum , Prædicatum & Copula : hæcque tum Explicata , verbi Substantivi , Sum , & Compositorum ejus : Ut , Homo est doctus . Homo potest loqui : Vel Implicita , verbo scilicet , quod est prædicatum , inclusa . Ut homo docet , loquitur , currit. 2. *Species* , quod scilicet Propositio alia est Simplex , alia Composita , Conditionalis videlicet vel Disjunctiva ,

ctiva, per particulam, Si, vel particu-
las disjunctivas, vel, vel, aut, aut, si-
gnata. Item, Affirmans vel negans:
Universalis, Particularis, Indefinita vel
Singularis: Necessaria, quæ semper
est vera; Vel Contingens, quæ nunc
vera, nunc falsa. 3. *Affectiones*, quæ
sunt tres. Oppositiō Propositionum,
Conversio & Äquipollentia, Atque
de his agitur in PARTE TERTIA.

SYLLOGISMUS consideratur
vel ratione formæ, vel materiæ.
IN FORMA Syllogismi observanda
duo, 1. *Partes*, Tres videlicet Propo-
sitiones, Major, Minor & Conclusio,
& qui has constituunt, Tres Termini,
Major, Minor & Medius terminus. 2.
Species, quod aliud est Simplex sive Ca-
tegoricus, aliud Compositus. Catego-
ricus Trium Figurarum videlicet; In quarum
Prima medius terminus est subjectum
Propositionis majoris, & prædicatum
minoris: In Secunda, prædicatum
utriusque præmissæ: In Tertia Subje-
ctum utriusque. Et hic dicitur Sylla-
gismus Perfectus, quia ex tribus Pro-

A 7 pos-

positionibus constat: Sicuti Imperfe-
ctus est *Enthymema*, in quo propositio
aliqua deficit; Et *Inductio*, in qua abun-
dat: ac *Exemplum*, quod est brevis Indu-
ctio, hoc est, unius Exempli. *Compositus*
est Vel *Conditionalis* aut *Disjunctivus*, ha-
bens videlicet Propositionem majorem
Conditionalem vel Disjunctivam; Vel
Dilemma, quod est Disjunctivi Species,
utraque parte propositionis disjuncti-
væ, addito utrobius incommodo sive
periculo, adversarium urgens, constrin-
gensque: Item *Sorites*, pro uno medio
termino habens plures, gradatim sibi
subordinatos: Et *Prosyllogismus*, Præmis-
sis, sive uni, sive utriusque adjunctam ha-
bens rationem seu probationem, ma-
xime vero Canonem Topicum. Et de
his agitur in Parte *Quarta*, SE-
CTIONE PRIMA.

Syllogismus RATIONE MA-
TERIÆ consideratus est ipsa AR-
GUMENTATIO ex quæstione &
medio probationis constans: Et ex qui-
bus per dispositionem medii cum par-
tibus quæstionis, tanquam duobus ex-
tremis

tremis Syllogismus in forma componitur. Circa Argumentationem autem consideranda Tria. 1. *Fundamentum*, videlicet Nexus medii termini cum partibus quæstionis, ex habitudine argumenti dependens. 2. *Medium Inventionis* medii Termini ex Argumentis tanquam Locis Inventionis. 3. *Principium Probationis*, Relatio videlicet & Oppositio; & ratione horum Generali probandi ratio, ex Argumentis Consentaneis videlicet & Dissentaneis: Ut & duplex probationem Confirmandi modus, vi ejusdem Relationis & Oppositionis. Denique pro *Nexu Argumenti duplice*, Necessario vel Contingen, te, duplex etiam *Argumentatio*, *Necessaria* sive Apodictica & Demonstrativa: Vel *Contingens* & Probabilis tantum. Cujus utriusque *Nexus Determinatio*, per Terminos *Necessitatis*, Proximum, Adæquatum & Proprium: Ut & *Contingentiae*, Remotum inadæquatum & Commune, constituit *Distinctiones* & *Limitationes*, quibus omnes Canones & Regulæ Topicæ restringi & limitari possunt; Qui ideo Termini sunt maximè *Generales*, ad quos omnes

omnes aliæ distinctiones & limitatio-
nes, quæ ab Authoribus pene innume-
ræ traduntur, tanquam ad summa quæ-
dam capita, quasi certa sub signa, re-
duci & revocari possunt. Unde magna
in Disputando facilitas & promptitu-
do subnascitur. Et de his omnibus
IN SECTIONE SECUNDA, Par-
tis Tertiæ agitur.

Syllogismus Vitiosus, qui FAL-
LACIA dicitur, item Syllogismus So-
phisticus, Vel vitium committit in For-
ma, cujusmodi sunt Fallaciæ Dictionis di-
ctæ, numero V. Homonymia, Amphi-
bologia, Compositionis & Divisionis,
Accentus, Fallacia Figuræ dictionis.
Vel in Materia, quæ dicuntur Fallaciæ in
Rebus, cujusmodi sunt VII. Fallacia Ac-
cidentis, Dicti secundum quid ad di-
ctum simpliciter, Consequentis, Peti-
tio principii, A non Causa ut Causa, Se-
cundum plures interrogations, Ignor-
ratio Elenchi. De his ergo agitur in
SECTIONE TERTIA.

METHODUS, quartum Logi-
cæ Instrumentum, Idque Ordina-
tionis,

tionis, res cognitas & inventas videlicet ordine convenienti disponere docens, est vel Rerum Theoreticarum vel Practicarum. Ex quibus Theoreticæ ut Physicæ, requirunt processum à simplicibus ad composita, tanquam totum aliquod : Practicæ, ut Ethicæ, Politicæ, à fine ad media, tanquam à toto aliquo ad partes. Utræque autem observant processum à generalibus ad specialia. Et hinc prior *Methodus* dicitur *Synthetica* seu *Compositiva*; Posterior *Analytica* sive *Resolutiva*.

Est etiam *Methodus* alia *Universalis*, totius alicujus Disciplinæ, vel *Particularis* unius alicujus Thematis, tam Simplicis, quam Coniuncti, sive Quæstionis & Problematis. Et Utriusque iterum consideranda Genesis & Analysis.

GENESIS sive Tractatio Thematris simplicis fit per argumenta declarantia ex Locis Inventionis de prompta, quæ sunt Vel Vocis, ut est Etymologia, Synonymia & Homonymia; vel Rei, quorum præcipua sunt IX. Genus, Causæ, Effecta, Adjuncta, Definitio,

finitio, Divisio, Cognata, Diversa,
Opposita. Ubi diligenter distingven-
dum inter Thema perfectum, quale est
Substantia, Habitus, Qualitas afficiens,
Actio & Passio; Et Imperfectum, ut Re-
latio, Thema singulare, Rei alicujus
pars, ut Oculus; Substantia Collecti-
va, ut Mundus; Et Accidens Concre-
tum, ut Consiliarius. Pro quorum
Thematum diversitate Tractatio etiam
instituenda & argumenta ex Locis cui-
que Tractationi magis propriis peten-
da, ac ordine quoque convenienti di-
sponenda.

Thematis Conjuncti sive quæ-
stionis Tractatio fit per argumenta
probantia, sive media probationis,
quos medios terminos appellamus, ex
naturatum subjecti, tum prædicati de-
sumpta, cujuscunque videlicet Loci
fores pulsando, inventaque argumenta
disponendo, vel ordine simplici, quo
inventa sunt, vel ad Disceptandum ac-
commodato, Quomodo, Primo Sta-
tus Controversiæ recte constituendus;
Deinde Argumenta demonstrantia ad
ducen-

ducenda; Tertiò Argumenta contraria,
& sententiæ nostræ adversa, refellenda.

ANALYSIS est resolutio Thematis
alicujus jam tractati, sive illud in for-
mâ Epistolæ, sive Orationis, sive etiam
Poëmatis pertractatum fuerit : Sive
Simplex fuerit, sive Conjunctionum. Hu-
jus *Scopus* est, artificium ab Authore in
Tractatione adhibitum, cognoscere,
& imposterum imitari. *Modus*, ea quæ
sub orationis involucris quasi occulta-
ta sunt, hoc Orationis vestitu denuda-
ta quasi simpliciter & distinctè propo-
nere. **Fundamentum Canon Generalis:**

Ex quo quid constat, in illud resolvitur.

**Ubi etiam Logicæ
TERMINUS.**



BRIGÆ,
Typis JOHAN. CHRISTOPHORI JACOBI.
Anno 1674.

DE RELATIIS.

Relationis Categoria est series
relatorum Prädicamentorum,
vel potius, relationum prædi-
camentariorum. Relata vero
prædicamentaria sunt, quæ
se respiuant sicut modi termi-
ni plurali v. non hæc ap-
pellare quæ relata nunquam
singula, sed ad qualibet Re-
lationem concordant termini
potuerint Relatum et correla-
tum. ut in cono Dnu, cono
et ferrum, &c.


Est v. relatio ex quæ accidit
tum. Nullum accid. per
se substitut, sed indigit subje-
ctu in keret, sic paternus.

tatis subyn et hō Masculg.
Relatio vero Categorica est
accid. propri quod aliquid
formaliter refert ad aliud,
tangit ad term. formaliter
sunt correlati sit effectus rati
Hoc est: quia relatio admodum
debile est accid. quod in crea-
turis subjecto suo immediate
esse non potest, atque quodam
absolutum accid. requirit
quod tangit fundam. aliquod
est substantia ut subjecto in
habere possit, sic paternitas
huius mense et nisi quali-
tas quedam habet, vel po-
tentia generandi, cuius tangit
fundam. Hoc relatio inni-
taz.

german 60
Periodic Inspection
Control Form



TA - OC
DNA Z



230
seq
ad
R
tra
te,
th
ea
bi
fa
di
sm
ri
tu
et
fo
ia

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres

Inches
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

CLAVIS AD IDEAM Logicam

Totam Logicæ Doctrinam
Brevissima Sylloge
exhibens,